Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2203

Quelle:
Copyright:

Perusii feria quarta Resurrectionis.

DLXXIX.

436 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 275. 4. per duas columnas non una manu exaratus, rubricisque distinctus inscribitur *De Caritate Statuum*, abitque in *Partes* IV. videlicet *fol.* 1. *de Caritate Prelatorum ad subditos, fol. 117. de Caritate Subditorum erga prelatos, fol. 147. de Caritate Sacerdotis ad plebem*, et *fol. 251. de Caritate Plebis erga sacerdotes.* Coagmentatum Opus e PP. Sententiis, perspersumque piis Historiolis, quarum non semper vadem agere velis. Forma dialogica est, interrogante *Animo*, et *Ratione* respondente. Initium: *Quoniam, ut ait beatus Gregorius, caritas minus quam inter duos haberi non potest* &c. Finis vastae tractationis: *Insinuat quod per eorum doctrinam ieiuna corda cottidie sunt pascenda. Hec glossa.* Autoris, qui e Praedicatorum vel Minorum familia fuisse videtur, nomen detegere non potui. De Patria illius fortasse ex eo conjicias, quod *fol.* 271. p. 2. scribit. *Quedam nobilis domina et deuota in austria uidit ex ore predicantis exire flammam ignis quasi de fornace.*

DLXXX.

256 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 446. f. currente calamo scriptus per duas columnas, et olim *conuentus wienens. fratrum ordinis predicatorum In Austria. donatus eidem per Venerabilem patrem. fratrem Petrum de Chirchschlag ante suam professionem quam fecit in die Penthec. Anno domini 1457.* ut habetur ad calcem *fol.* 2. et *fol. penult.* continet Farraginem Opusculorum, quae enumeranda sunt, postquam observavero, Donatorem nostrum ipsummet successu temporis evasisse Scriptorem; extat enim ejus *Collectura ex diversis Doctoribus super Passionem Domini*, impressa *s. l.* 1487. 4. Id, quod *Echardus* in *Scriptt. O. P.* scire avebat, quem etiam latuit *Petrum* Conventus *Viennen.* alumnum fuisse, oppidumque ejus natale in *Austria* non *Kyrschlacken*, ut deformatum ab aliis nomen acceperat, sed *Kirchschlag* scribendum esse. Vide T. I. p. 858.

I. *Tractatus*, ut ex calce transcribo, *bonus qui et Cordiale dicitur tractans de quatuor nouissimis scilicet de morte temporali, de iudicio extremo, de penis inferni et de gaudio regni celestis Egregij et eximij doctoris. Magistri Heinrici de Hassia sacreque Theologie professoris. In alma Vniuersitate Wienen. editus.* Incipit: *Memorare nouissima tua* &c. *Sicut dicit Beatus Augustinus in libro suarum meditationum* &c. et finit: *ac nouissima prouiderent.* Typis editum Opusculum sub Artis initia *s. l.* et *a.* 4. In *Cod.* uno *Mellicensi* de Autore dubitatur, in *Claustroneoburg.* tribuitur